

concordia existere potest: 1.^o Inter verbum et substantivum, aut inter verbum et vocem vel voces pro substantivo sumptas. 2.^o Inter substantivum et adiectivum. Quois adijungi potest *semiconcordia* vel *appositio* inter duo substantiva.

Rectio vocatur unaquaeque de caeteris inter verba intrinsecis relationibus. Ex. gr.: causae, ut *fame interiit*; modi, ut *gladio ferire*; possessionis, ut *liber Petri*, etc.

Sunt verba quae regunt et quae reguntur: *substantivum*, *adiectivum*, *participium*, *verbum* et *praepositio*, ad primum spectant genus; item *pronomina*, *adverbia* et *interiectiones* aliquot, pro quadam imperfecta rectione. Ad genus autem verborum quae rectione subiiciuntur vocabula tantum *movilia* seu *variabilia* pertinent, videlicet: *substantivum*, *pronomem*, *adiectivum*, *participium* et *verbum*.

Constructio est mere externa relatio verborum prout in oratione ponuntur. Et est duplex: *directa* et *inversa* (qua *hyperbaton* dicitur); prima, in latino sermone fere inusitata, est ordo verborum mere ideologicus; altera est verborum collocatio secundum propriam latini sermonis indolem.

PARS PRIMA

DE SYNTAXI REGULARI

CAPUT I

DE CONCORDIIS

4. Omne verbum finitum aperte vel occulte nominativo cohaeret in numero et persona. Ex. gr.: *Magister docet, discipuli audiunt. Quid statis? cur non itis illuc?*

Aliquando etiam verbum infinitum nominativi vi-

oes gerit ut: *Turpe est mentiri. Didicisse fideliter artes emollit mores.*

5. Verbum autem infiniti modi ante se accusativum habet. Ex. gr.: *Amicitiae nostrae memoriam spero sempiternam fore. Hunc quidem mimbium cito transiisse laetor.*

6. Omne praeterea verbum finitum (substantivum praesertim et vocativum), utrinque nominativum videtur habere; sed alter nominativus vel primo cohaeret, vel tacitam orationem continet. Ex. gr.: *Nemo nascitur dives. Militia est vita nostra. Ego vocor Leo. Aristoteles docebat libens, discipuli etiam audiebant libentes.*

7. Verbum autem personale infiniti modi post se etiam nominativum petit cum res ad nominativum praecedentis verbi pertinet. Ex. gr.: *Nolo esse longus. Malim videri minus timidus, quam parum prudens.*

At si accusativus antecessit, et sequatur necesse est, ut: *Cupio, Patres conscripti, me esse clementem; cupio, in tantis reipublicae periculis, me non dissolutum videri. Ego me Phidiam esse mallen, quam vel optimum fabrum tignarium.*

8. Adiectiva, pronomina, participia et etiam gerundia passiva, cum substantivo conveniunt in genere, numero et casu. Ex. gr.: *Amicus certus in re incerta cernitur. Ille autem bonus vir usquam apparet.*

9. Substantiva coniuncta, fere adiectivum multitudinis requirunt. Ex. gr.: *Bos, equus et asinus, utilissimi sunt. Quod si adiectivum singularis sit numeri, cum viciniore substantivo genere, numero et casu consentiet. Ex. gr.: Meo consilio et auctoritate, vel consilio et auctoritate mea.*

10. Adiectivum plurale praestantius genus sibi vindicat. Virile praestantius est muliebri et neutro: neutrum muliebri praepositur, praecipue cum de rebus in animis sermo est. Ex. gr.: *Pater et soror mortui sunt. Decus et gloria in oculis sita sunt.*

11. Cum substantivis rerum inanimatarum plerumque iungitur neutrum multitudinis. Ex. gr.: *Inter se contraria sunt beneficium et iniuria. Saepius tamen*

adiectivum cum viciniore substantivo consentit. Ex. gr.: *Video, patres conscripti, in me omnium vestrum ora et oculos esse intentos.*

12. *Factus, creditus, dictus, dicendus, visus, appellatus, vocatus* et caetera participia eiusdem generis, si post duo substantiva diversorum generum ponantur, cohaerent cum eo quod basis est et fundamentum orationis. Ex. gr.: *Divus Thomas, sustentaculum Ecclesiae dictus.*

13. Relativum *qui, quae, quod*, et etiam *hic, iste, ille, ipse, is, idem*, cum pronomina fiunt, cum antecedente concordant in genere, numero et persona. Ex. gr.: *Adestote animis qui adestis corporibus. Arbores serit agricola quarum fructus ipse aspiciet nunquam.* Sed *quantus, talis, qualis* et caetera eiusdem generis, cum consequente substantivo genere, numero et casu conveniunt. Ex. gr.: *Talis es qualem te putabam. Xerxes cum tantis copiis Graeciam invasit, quantas neque antea neque postea habuit quisquam.*

Relativum *qui, quae, quod*, etiam in casu cum antecedente concordat quotiescumque antecedenti praepositur, quamquam saepius alterum relativum subiicitur et pronomibus *hic, iste, ille*, etc. Ex. gr.: *Quam quisque norit artem, in hac se exerceat. Quem vidistis equum nudius tertius emi.*

Si relativum inter duo substantiva ponatur, cum alterutro convenire poterit, etiamsi alterutrum proprium sit. Ex. gr.: *Sempiterni illi ignes quos stellas dicimus, vel quas stellas dicimus. Animal hoc sagax quem vocamus hominem, vel quod vocamus hominem.*

Quandoque verbum infinitum aut brevis sententia antecedentis vices gerunt, et tunc relativo neutrum genus erit. Ex. gr.: *Esse beatum, quod omnes cupiunt, iustus proprium est.*

In caeteris omnibus, idem de relativo pronomine observandum quod supra de adiectivo dictum est.

14. Substantiva continuata si ad eandem rem pertinent, eodem casu concordant, quamvis genere et numero interdum dissentiant, quod *appositio* vel *semiconcordia* vocatur. Ex. gr.: *Aput Herodotum, pa-*

trem historiae, sunt innumerabiles fabulae. Tullia, deliciae nostrae, salutem tibi plurimam adscribit.

15. Interrogatio et responsio eidem ferme casui cohaerent. Ex. gr.: *Cui te devovisti? Iesu Christo Domino meo. Cui praeceptori dedisti operam? Divo Thomae Aquinati. Quo morbo fuisti impeditus? Assiduo moerore.* Responsio vero ab interrogatione interdum dissentit. Ex. gr.: *Quanti emisti librum? Tribus denariis.*

CAPUT II

DE RECTIONE

§ I.—DE SUBSTANTIVO ET PRONOMINE

16. Si substantiva diversarum rerum in eadem sententia continuantur, quibus sit possessionis nota erit genitivus. Ex. gr.: *Caesar recepit praenomen imperatoris, cognomen patris patriae.*

Sin vero genitivus laudem vel vituperationem significet, aut materiam ex qua res fit, in ablativum mutari potest. Ex. gr.: *Homo antiquae virtutis et fidei, vel antiqua virtute et fide. Poculum argenti vel ex argento.*

17. *Opus*, substantivum, et *usus* (cum *opus* significat), ablativum postulant; sed interdum etiam nominativo vel genitivo adiunguntur. Ciceronis exempla: *Aput Terentiam gratia opus est nobis et auctoritate. Temporis et laboris et multae impensae opus fuit. Usus* (id est *opus*), *est tibi amicis.*

18. Substantiva verbalia eosdem ferme casus habent quos verba a quibus procedunt. Ex. gr.: *Ascensus in navem. Reditus ab Hispania. Obtemperatio legibus.*

19. Substantiva quibus ambigua est significatio, ut *charitas, amor, memoria, desiderium, cura*, itemque caetera, si possessionem actionemve significant, pos-